

Bibliothèque numérique

medic@

**Petit-Radel, Philippe - candidat /
Andry, Charles Louis-François -
président. - An Scorbuto acidum
creatae ?**

1781.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°70***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0070](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0070)

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono



QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS;
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quarto mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXI.

M. CAROLO LUDOVICO-FRANCISCO ANDRY, Doctore
Medico Præsidente.

An Scorbuto acidum cretæ?

I.



AS acidum cretæ (aliis *Aëreum acidum*, *Aërem fixum*, *Gas mephyticum*) nuncupant recentiores Chemistæ fluidum quoddam aëriforme, elasticum, in cunctis naturæ corporibus, terris præsertim cretaceis cœrcitum, indèque destillationis, fermentationis, dissolutionisque ope facillè eliciendum. Aëri atmospherico par aliquatenus, haud ægrè tamen ab eo distinguitur; nempe 1°. multò gravius se prodit in variis experimentis. 2°. Igni fovendo minimè idoneum, animantium quoque respirationem brevi sufflammat. 3°. Aquæ unitum facili connubio, acidulum ei saporem confert vimque dissolvendi ferri, ut videre est ex aquis mineralibus spirituosiss. 4°. Tincturæ heliotropii cæruleum colorem in subrubrum vertit. Demùm alkali caustica cicurat sicque demulcet, ut liquida in cristallo facillè concrecant. Intimos inter omnium ferè naturæ corporum recessus, more elementorum, nidulatur Gas acidum cretæ: in plantis reperitur, inest animantibus, nec deest ipsismet lapidibus durissimis, ut marmoribus. In molem aggestum suppetunt minerae, subterranea, cavernæ, præsertim celebris apud Italos *Grotta del Cane*. Illo etiam turgēt nostra hæc, quâ vivimus, atmosphæra. Nempe aër, præter circumvolantes atomorum myriades & diffusas passim ignis & aquæ moleculas, physico-chemicâ analysi tentatus, in principium seu Gas triplex abire visus est, *Mephyticum*, *Phlogisticatum*, & *Dephlogisticatum* (1). Pro diversâ ratione quam servant unita inter se hæc principia,

(1) Id Gas purissimum è calcibus metallorum torturâ ignis exilit; aëri communi levius combustionem, calcinationem magis ac citius favet respirationemque ac vitam longè diutius tuetur.

* Rhemis propugnata. Anno 1778.

varia illius salubritas se prodit qui *aër communis* dicitur seu *Gas respirabile*. Non idè mireris si vitæ & combustioni tantum noceat accensis candelis ac respiratione animalium conspurcata atmosphæra; quippè dissipatâ hisce de causis puriori (dephlogisticatâ) parte, nocivæ tantum supersunt, juxtâ experimenta D. LAVOISIER (2). Quàm dissimilis actio plantarum vegetantium! Ipsæ enim dum mephyticum principium imprimis hauriunt illoque vigent melius, ex observatis D. PRIESTLEY, major interim servatur partis dephlogisticatæ copia, quâ fit aër communis respirantibus salubrior. At si respirationi tantum noceat Gas mephyticum, haud idè prorsus vitæ infensum videtur; quin aliâ adhibendi ratione summè utilem se præbet in variis ipsorum animantium ægritudinibus. Doceat nos igitur Chemistarum industria qui medicos ad usus sufficienti copiâ comparari possit: scilicet retortæ rostro longiori tubuloque instructæ, immisâ prius cretâ, collo aptatur amplum vitreum receptaculum, aquâ fluviali semi-plenum, suprà tenui patens foramine; cretæ super affunditur per tubuli viam acidus quivis liquor, acetum putâ (3), vel spiritus vitrioli. Summus è miscelâ fervor; Gas cretaceum avolat partemque receptaculi communi aëre fœtam adimplet; eo per foraminulum prius fugato, tùm obturari debet idem hiatus ad acidum cretæ cohibendum, dein rotatim moto identidem liquore, prorsus illud dissolvitur; hinc prius merè aquosus latex aëreus fit, acidulus, mentiensque aquas minerales spirituofas. Quæ ni placuerit methodus, sequentem accipias: similis retortæ rostro adaptetur pars extrema siphonis cujus opposita cupæ *hydro-pneumaticæ* inmergatur, inverfo-appositis suprà ejus tabellam lagenis aquâ plenis, ubi cretæ affusum acidum fervorem excitârit, propulsum statim Gas lagenam intus aquam demittet, cujus si tertiam tantum quartamve servâris partem, factâ motione, Gas omne dissolvit pariterque fiet spirituosa. Tandem si quæ obvia sit cella ubi fermentant uvarum, pomorum, pyrorum succus, mel, hordeumve, nusquàm facilius Gas obtinebitur. Tota enim cupæ ea pars quæ vacua videtur effluvio cretaceo turget; cui si inmergatur vas quoddam, pro acido volatili commutabitur statim aër in eo contentus. Gas autem sic comparatum purum exhiberi poterit ad varios usus, aut aquæ, medicamentosisve potibus immisceri. Jam verò demonstratam à variis auctoribus in morbos ex putridorum genere acidi cretæ utilitatem vindicat sibi & ipse scorbutus; quod ut probetur morbi indolem paucis delibare liceat, indèque eruere indicationes *σπανίταις* adimplendas.

(2) Titubantem & argumentis destitutam opinionem minimè affert Auctor sagacissimus, nimirum in tali atmosphæra aqua calcis calcem deponit sub cretæ habitu, leniuntur concrescuntque ibidem salia alkali caustica, unâ & livescunt tùm calces plumbeæ albæ, tùm picturæ ex his paratæ, uti hepatico vel putido alio quovis odore fieri solemne est.

(3) Ut caveatur acidi tùm expedientis tùm expediti commixtio optimè per interjectum receptaculum cretæ aquâ dilutâ plenum deducuntur resoluti vapores mediante nimirum siphunculo qui è retortâ in receptaculo aperiatur. Dict. de Chymie, par M. Macquer.

SCORBUTUS (à flavonio vocabulo *scorb* quod morbus sonat) est Scachexiæ species à dissolutione sanguinis orta , variis ad cutem maculis & gingivarum livore , cruentatione , fæto dignoscenda. Varias scorbuti species admiserunt immeritò auctores diversi. *Hæreditarium* esse hunc morbum *contagiosumque* non novimus. Ejus distinctio in *acidum* & *muraticum* subtilior quàm verior ; neque praxis quotidiana inter scorbutum *marinum* ac *terrestrem* ullum certè discrimen observat. Naturâ igitur idem est scorbutus omnis : at in eo tamen nonnullæ institui possunt differentiæ ; modò enim causis exterioribus generatur , navigatione , urbium obsessione , carceribus , nosocomiis , &c. , malum festinantibus aëre humido simul & frigido , vegetabilium recentium inopiâ , otio , metu , merore : modò etiam internis ac prædisponentibus causis natale debet , ut morbo prægresso , febris scilicèt intermittenti diutinæ , continenti putridæ , etiam hydrargyrosi. Quin endemicum esse hunc morbum constat in Norvegiâ , Suæciâ , Groënlandiâ aliisque septentrionalibus plagis. Nec rarò epidemicè grassantem viderunt Clinici in classibus , classiariorum nosocomiis , in portubus maritimis. Scorbutus non omnibus suis statim se prodit insignibus ; levis primùm gliscit sensim sine sensu , serpentinoque more irrepando lethale adigit spiculum. Videas in primis pallorem levemque faciei intumescentiam , labiis carunculisque lacrymalibus viridescentibus. Impallescent jam , mòx obscurè livescit cutis ; succedunt hebetudo animi , mœror , desidia , jactura virium , cita de motu levi lassatio cum dispnoëâ. Nec minùs cruciant defatigatio perennans , vagi erraticique dolores rheumatismum mentientes ; fœtet halitus , pruriunt , pallefcunt gingivæ , mòx tument atro-rubentes , molles , fungosæ factæ , tandem erosæ & putres spontè stillant faniem. Cutis usque tenùs sicca & lucens , glabra vel aspera , maculis fœdatur subrubris , cærulescentibus , lividis , nigris , quæ nunc lenticulares dicuntur , nunc palmares pro diversâ amplitudine ; in cruribus vulgò hæc conspiciuntur , non rarò alibi , nunquàm verò illis deturpatur facies. Crescente morbo tenduntur tibiæ flexores muscoli , retrahuntur crura , tument genua , dolent , à motu impediuntur , quod *Gonagram* vocant *scorbuticam* : presso pede sequuntur pectoris dolores , ex variis corporis partibus hæmorrhagiæ , ulcerum cruentatio. Servantur interim sensus & appetitus ciborum , imò meliùs se habent. Ad *anum* deducto scorbuto , quis tetrior morbus ? veteres ulcerum cicatrices , si quæ sint , rumpuntur , vel crepat cutis in tibiis , & cruenta , fungosa , putrida patent ulcera ; accenditur febris (4) exortis nunc pe-

(4) Rarissimè scorbuto accidit hæc febris species , ut asserit celeb. Lind.
» Some few at this period though very rarely , fall into *colliquative* putrid fe-
» vers , attended almost always with *petechiæ* fatid sweats , &c. Vid. *Treatise of*
» the scurvy , pag. 166.

techiis formidanda ; nunc foetidis sputis cruentisve alvi dejectionibus stipata , quandòque colliquativa & gelidos sudores elidens. Ecce iterum erumpit hinc & inde sanguis , fit viscerum infarctus , hypochondriaci mali apparent signa ; accedunt : catervatim aurigo , alvi dolores , quibusdam constipatio , aqua intercus , ascites sæpè , urinæ minguntur paucae , foetidae , rubrae ; pectoris quasi constrictio acerrima , continua præfocatio , animi deliquia , pulsus parvi & debilis crebra intermissio postremam accersunt ac prænuntiant horam , quâ tot agri dis cruciatibus finis tandem imponitur. Paucis nunc atrocis morbi causam prosequamur.

I I I.

PUTRIDAM sanguinis dissolutionem scorbuti causam proximam multi existimârunt ; nec dissentimus quidem ; quotidie etenim observatur paludosis nebulosisque in locis frequentiore esse hunc morbum ; videmus pariter intra homines qui sub eodem cœlo degunt , hos scorbuticâ affectione crebrius laborare qui vitam otiosam ac languidam vivunt , dùm immunes vigent quos durus agit labor , vividâ actione roboratis artubus , & auctâ cutis perspiratione. Mira quippè & incredibilis est humido-frigida aëris constitutio ad fovendum naturæ versùs putredinem vergentis molimen , motu præsertim carentibus pronis ad illam substantiis. Septicam & indicant scorbuti indolem quædam ejus symptomatica febres putridas haud rarò excipientia. Scorbuti deindè genium si attentè consideres , non agrè tibi innotescunt putridæ diatheleos signa certissima. Quid sibi vult etenim acer & colliquescent sanguis è valis facillimè diffluens per ἀναστροφὴν , διαπύκνωση & διαίρεσιν ? Quid rubrae partis à serosâ impossibilis post venæ-sectionem disjunctio ? Quid odor putidus ex ore & naribus tabique manantis pessima indoles ? Nec segnitèr militant pro nobis , quæ oculos offendunt in cadaverum lustratione ; siquidem loca maculis foedata citius putrescunt , sanguisque in venis superstes coagulatum cruorem minùs refert , quàm innatantem sero volubili lateritiâ nigrescentemve terram. Inuruntur præterea visceribus maculae nigrae , non falsa gangrenæ indicia , plurima sæpè sæpius atro infarciuntur tabo levissimoque vel attactu diffluunt. Quid referam ulcera carniū putrida , cariem exedentem ossa partium compagi sustinendæ jam imbecilliora ? Quisnam autem dissolutionis scorbuticæ genuinus character ? Res æstimatu difficillima. Effectus enim innotescunt tantùm , primariasque horum causas velamine oculis humanis impervio circumdare naturæ complacuit. Si quid tamen de re tam abstrusâ liceat nobis conjicere , D. PRINGLE suam de his mentem aperienti libenter astipulabimur. Fluidum nempe aëri simile quod è variis naturæ corporibus , dùm resolverentur , affatim dimanans detexerant jam , imò calculis subjecerant van-HELMONT , BOYLE , HALES , quod etiam postea è carnibus putrescentibus exhalans vidit MACBRIDE mephyticumque autumnavit , idem è cruore putrescente pariter diffilari constanti observatione.

cognovit Medicus Britannus, idem & motu intrinseco scorbuticam putredinem adducente intrâ corpus humanum fieri subodoratus est (5). Hinc juxta eum varia scorbuti phænomena; irregulares arteriarum motus, vagi dolores, nunc sopiti, nunc crudeliùs recrudescentes, missio sanguine exasperantes, stupores subitanei, convulsiones, paralyfes; nullaque ei obviâ venit alia causa, cur tunc ægri vix atmosphæræ pondus ferre queant diversasque illius mutationes. Nonne ex hoc fonte scaturire possunt indicantia ad sævitiam scorbuticorum symptomatum debellandam idonea? Hic quippè duo sese palâm produnt, restituendus solidis tonus, emendanda humorum *ὑγεία*. Quùm autem humido aëre nil magis fibras debilitet, sicco autem ac frigente nil roboret magis; quùmque exercitio indurescant & solidescant corpora, priorem attinget scopum aër siccus ac temperatus, insensilem cutis exhalationem brevè excipiens; deinde *γυμνασία* moderatè instituta, quæ fluidorum solidorumve reciprocarum actioni favendo vitæ energiam accendat. Eò tendunt medicamentâ quæ qualitate acri, amarâ, acidâ, stypticâve præpollent: vitiatæ humorum *ὑγεία* proximè etiam medentur hæc remedia sicut è regno vegeabili depromptæ dapes. At ea putredini scorbuticæ obfistent efficacius quæ intrâ elementares humorum particulas majorem infundunt acidi cretacei copiam. Quibusnam momentis stet suffulta hæc nostrâ opinio nunc fusiùs dicendum.

I V.

IN ascribendâ Gas cretaceo vi antiscorbuticâ tribus præcipuè immoratur; quòd nempè illâ eâdem facultate polleant medicamina antiseptica, tum quòd reverà antisepticum sit acidum cretæ; quòd demùm depromptas ex scorbuti naturâ indicationes mirè adimpleat. 1°. Ex antisepticiis medicaminibus alia amara sunt, alia acida. Prioris prosapiæ meritò princeps kina scorbuticæ inimicum lui imò sæpè sæpiùs victorem haud ignobilem se præbuit, quandò etiam debaccharetur hostis immaniusque sæviret (6). Fugavit quippè febrem erraticam indè sobolescentem, vagos dolores sedavit, ipsam arthritidem scorbuticam perdomuit; salivæ & sanguinis nimium fluxum stitit, vividiorum ac nitidiorum aspectum fœdis saniosisque ulceribus conciliavit. Æstimandæ pariter veniunt aliæ substantiæ valdè amaræ, ut cascarilla, cortex winteranus, lapathum, gentiana, chamædris, fumaria, lupulus, scordium, &c. Idem de acidis dicam quæ ut vi antiputridâ sic & antiscorbuticâ insigniuntur: mineralia quidem, putà elixirium vitrioli, aqua rabelliana, spiritus nitri dulcis labantem profusis hæmorrhagiis machinam erigunt, dum stypticâ vi fibras stringunt, vasorum orificia corrugant cruoremque inspissant. Leniora verò, cydoniorum nempè, ribesiorum, cerasorum,

(5) Traité sur les Substances septiques & antiseptiques, Mémoire VII, Expérience XLVIII.

(6) Treatise of the scurvy by JAMES LIND, D. M. chap. 5, pag. 267.

limoniorum aurantiorumve succus, acetum ipsum, parataque ex illis, in putridâ & inflammatoriâ humorum *υπερσιν* tam proficua, à Clinicis etiam succis infusisve plantarum cruciferarum prosperrimè admiscuntur. 2°. Acidi aëriformis vires antisepticas tum innuit subtypicus ejusdem sapor, tum demonstrant nonnulla phœnomena; carnes etenim decolores jam ac putrescentes, ubi Gas cretæ immersæ fuerunt, sin nativum induant colorem, ab ulteriori saltem putredine certò defenduntur; indè felix consuetudo quibusdam coquis, si fortè æstivo tempore paululum veteraverint carnes ac malè olere incœperint, subito excitato fervore ex aceto & cineribus invicem commixtis pristinum colorem illis, imò suavitatem odoris & saporis reddere. At propiora nobis è praxi clinicâ depromptæ observationes in putridis (7) nimirum febribus, in tetro variolarum mali moris fœtore (8), in putridâ exulceratione pulmonum (9), inter horrendos cancri (10) patentis dolores diversa acidi aëriformis adhibitio non levamen tantum, sed sæpè & integram curationem attulit. 3°. Quùm easdem ferè indicationes offerat nobis *σχιζις* scorbutica, cur idem remedium hisce adimplendis minoris esset energiæ? In singulis *σχιζις* speciebus idem insitum partibus nostris aëriforme principium elabitur, in singulis fatiscunt pariter fibræ & colliquescent humores, cur pariter in singulis non proficeret principii ejusdem restitutio? Quantum vis enim langueant naturæ vires, dùm sævit scorbutica lues, non idèò tamen prorsus deficiunt, imò superest sæpè adhuc ea vis vitæ quâ, etiam morbi tempore, variæ corporis animati partes agunt & aguntur. Porro datâ eâ vi poris subtilioribus extûs intûsve gas allambens absorbetur, urgetur vividius, intimius miscetur, affectas partes immutat efficacius. Vis absorbentis in exemplum fumantur, etfi vitâ languidiori pollentes, plantæ, quæ mediâ acidi cretæ atmosphærâ alacrius vigent & citius adolescunt. Tanta est insuper acidi cretacei copia in substantiis adversus scorbuti luem maximè commendatis, ut partem quamdam, neque ità levem, harum efficaciarum jure ipsi concesserimus (11). Aliis etenim implicite inest ut cardamindo, alliaceis, cruciferis, saccharo, melli, lacti, farinosis horæisque fructibus. Explicitum prorsus

(7) Expériences & Observations sur différentes especes d'Air, traduit de l'Anglois de M. PRIESTLEY, Tom. 1, pag. 379, & Tom. 3, pag. 243 & 255.

(8) Tom. 1, pag. 250.

(9) Tom. 1, pag. 392.

(10) Gaz. de Santé, 1777, p. 114.

(11) Kramer observed that in a thousand patients he had cured by the juices, of scurvy-grass and cresses, each dose of the juices occasioned prodigious belchings and winds. It was so uncommon that he imagined it proceeded from the active and volatile salt of the herbs set loose in the stomach; to which he ascribed their cure. He therefore strictly enjoined his patients to prevent as much as possible these salts from making their escape. Lind's Remark in his Treatise of the Scurvy, pag. 308.

exhibent pomaceum, ficera, campanum vinum (12); mosellatum & laudatum Boerhaavio rhenanum; demum multò magis aquæ minerales acidulæ (13) quarum lenissimo caloris gradu sapor omnis evanescit. Nonne etiam Gas è telluris gremio exhalanti sua debetur *Balnei terrestri* utilitas, adversus scorbutum, præsertim à SOLANO, Medico Hispano celeberrimo, commendati? Nimirum, dum sol æstivus fervidiores reddebat menses, solum incultum subdio eligebat Clinicus in sphymicâ doctrinâ versatissimus, effosso immittebat terrâque, capite excepto, prorsus obtegebat nudum ægri corpus ibi relinquendum, donec artus refrigererent; tùm frictum oleosisque inunctum lecto demandabar. Novum sic quotidie in novâ fossâ parabatur balneum usque ad perfectam, quæ paucis absolvebatur diebus, morbi sanationem. Porro sola terræ exhalatio causa esse ei videbatur, cur tam insignis obtineretur effectus. Eam recens methodum publici fecit juris (14) laudidusque excepit Clariss. FOUQUET D. M. M. Huc pertinet mos familiaris cuidam apud Indos Idololatrarum tribui quæ putrido affectu laborantes sub calidis cineribus planè sepe liunt (15). Magnam porro cineribus inesse acidi cretacei copiam nôrunt omnes Chemistæ.

V.

NOVA & inexperta quàm proposuerimus, haud ea spes blanditur mentem nostram, quod dicta omnium fidem statim præripiant. Verùm appelletur experientia; ratione indicante, duce analogiâ, teneatur varia Gas acidi exhibitio ægris diverso scorbuti statu decumbentibus. Purum adhibeatur aquâve solutum, amaris sociatum vel plantarum antiscorbuticarum succis; eo medicentur ulcera sub formâ fortis irrigationisque, intestinis injiciatur enematis modo, &c. Quid de hocce acido censendum sit, lucidiùs tunc patebit certiusque cognoscetur; sic forsàn detectæ, novis tentaminibus confirmatæ fuerunt genuinæ omnium medicamentorum facultates. Sic agunt quos mera incendit vericupido. Tales si fuerint quidam adversarii, estò. Oppugnetur assertio nostra; conflictatos juvabit, modò ex collisione idæarum scintillet veritas. Vana utique disputatio erit de substantiæ aërisformis inter corporis

(12) Vid. Thesim M. J. C. NAVIER, D. M. Rhemis propug. anno 1777.

(13) Tales sunt aquæ locorum Dict. POUQUES, VICHY, MONT-D'OR, PYRMONT, &c. Talis aqua fastidia D. VENEL. solvit salis tartari drachmam in aquæ duabus libris, affusâ spiritûs vitrioli semi-drachmâ, orificium lagenæ quæ solutionem continet ritè obturat, paucas intra horas obtinetur liquor aquis mineralibus aëreis simillimus.

(14) Gazette de Santé, 1775, n°. 2.

(15) Redux à Ponticerio navis scorbutò dirè mulctata, ad Ascensionem appulit; cineribus scatentem Insulam ob montes ignivomos aperto campo latè olim debacchantes: deficiebant tùm, laudatum Nautis remedium, testitudines harumque ova. His pressus angustiis in terrâ demersos ægros voluit dux navis, ibi quàm potis diutius remansuros. Mandato excepto, cuncti decem horis singulâ die sic sepulti, post triduum prorsus sanati fuerunt. Vid. loc. cit.

nostri minores particulas difficili ingressu, vana de difficiliore humorum scorbuticorum ope illius emendatione. Nec arguatur etiam nova medicina ineerta valde aut utilis parum, in malo aliis vulgatiorebus specificis facilius ac tutius sanabili: deficiunt enim, nec raro, virentes plantæ; gelu rigeat humus, vel pelago commissæ rates necessariis indigeant rebus; pluribus ditiores erimus quàm paucis. Cetera insuper antiscorbutica minimè excludit laudatum remedium, amaris è contrà si admixtum fuerit, unitis viribus præstabunt quod utrumque imbecillius figillatim peregisset: per amara solutus revigescit solidorum tonus; per acidum cretæ, vix quidè firmæ aguntur partes, at humorum præstantius reficitur. Reddito, quod avolârat principio aëriiformi, & floridus sanguini redit color, & sua humoribus *ευχρηστα*. Quid indè? Sistitur motus ad putredinem vergens, mutatur, remeat gradum, leniuntur dolores, roborantur membra, diffilatur morbus. Quæ omnia quum Gas soli cretaceo vel mixto debeantur, haud minùs jure concludi potest:

Ergò Scorbuto acidum cretæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|--|---|--|
| M. Jacobus DE WENZEL,
Sancti Imperii Baro. | M. Joannes-Stanislaus MITIÉ,
Regiæ Scientiarum & Litterarum
Nancei Academiæ Socius, necnon
Stanislai I. Poloniarum Regis olim
Medicus ordinarius. | M. Carolus GEILLE DE SAINT
LEGER, Eques, Consiliarius
Medicus Regis ordinarius,
primi ordinis & totius Equest-
ris agminis in exercitu Me-
dicus primarius. |
| M. Henricus-Herculus CHAM-
PAGNE DU FRENAY. | M. Carolus-Ludovicus-Fran-
ciscus ANDRY, Aëlis præses. | M. Jacobus-Ludovicus AL-
LEAUME, Antiquus Facul-
tatis Decanus & Militarium
Nosocomiorum ad Regis Exer-
citus necnon in Insulis Ame-
ricanis nuper Medicus Regis. |
| M. Josephus-Jacobus GAR-
DANÉ, Censor Regius &
Regiæ Scientiarum Societatis
Monspelienfis, necnon Regia-
rum Nancei & Massiliæ Socius. | M. Joannes-Baptista-Alexander,
MAIGRET. | M. Claudius-Franciscus GRAND-
CLAS, Eques, Stanislai I.
Poloniarum Regis, olim Con-
siliarius Medicus & Regiorum
Exercituum à Consiliis Me-
dicis. |

Proponerebat Parisiis, PHILIPPUS PETIT-RADEL, Parisinus, Doctor
Medicus Rhemenfis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pari-
sienfis Baccalaureus, Theses Auctor. A. R. S. H. 1781. AB HORA
OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1781.